ralis inutilis ad vincendum Maleum, de quo non parvam habebant tristitiam per classem, attamen permiserunt ipsas galeas ad venti latus procedere declinatis antennis, una earum sursum in altum protensa, altera deorsum usque ad transtra demissa, quod fieri solet, quando conantur deludere ventos, ut vento eis contrario (b) ad optata ducantur loca, sicque die illo processimus et quasi ventum coarctavimus et captivavimus in recurvis velis, quod fieri potest quidem, dum non nimis potens sit flatus. Sed dum sol mergi ad occasionem inciperet, emersit ventus impetuosus nimis factaque tempestas saevissima, surgebant venti, saeviebat mare, elevabantur aquae supra galeam et reincidentes eam penitus operiebant et replebant, unde omnia in superioribus aut in aqua stabant aut natabant, et gubernatores supra in unda currebant. Superiores currebant, clamabant et laborabant, inferiores adhaerentes parietibus et columnis pavidi stabant, orabant et tristes interitum suum exspectabant singulis momentis. Dicere audeo pro vero, quod illa nocte ultra centies rapidis procellis fuimus obvoluti, operti undis, immersi aquis, sed nec immersas naves immanis vis et furor sinit sub aquis ad momentum manere, sed eo ictu, quo immersa fuerit, rejicitur, et quae ante in profundum labebatur, nunc in altum elevatur, et quae iam rostrum versum infernum directum habebat, statim eversa ipsum in coelum extendebat. Nobis ergo sic per maris vertiginosos anfractus navigantibus, terribilis casus nobis accidit, quo nihil nisi mortale naufragium jam jam advenisse (opinantes) cuncti clamabant: O Deus, o Maria, o Beati omnes, succurrite miseris in procinctu constitutis! Quaedam enim navis de nostra classe impetu ad nostram fuit adjecta, adeo repente, quod non poterant eam retinere, nec nostram abducere nec accursum ejus videre valebant, cum nox obscura esset et motus navis nimis velox, ultra volatum cujuscumque avis. Improvise ergo accurrens impegit in nostram galeam confregitque carascopum vel scaffam majorem, quae pendebat ad sinistrum latus puppis, comminuitque in frusta, cum tamen esset cymba fortissima, de solidissimis lignis querci compacta. Alterius autem galeae rupta fuit coquina et omnia, quae in ea erant, discerpta in mare ceciderunt. Quantum autem terrorem in illo contactu subito habuerimus, quantus strepitus, fragor et quam horribilis omnium fuga, et quam lamentabilis clamor ibi fuerit, mente gero, sed verbis

Ende

Anfang

© Stadtbibliothek Ulm, 2010. Signatur: 16 739-4;